Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

est incidere in manus dei viventis. Deinde domnus papa inclitus apud augeam in honore vivifice crucis ecclesiam dedicavit. ubi divina missarum sollempnia agens, adducitur cathenis nexus demoniacus, qui vix a multitudine potuit coartari aliena violencia obsessus. horrendos emittens stridores clamoresque ac fremitus, ymmo dicam totius cleri armoniam suis diris evincens vocibus. Itaque christi servus sacrum inceptum actionem non valens huiusmodi ferre inquietudinem, utpote ad deum tota dirigens mentem, a longe signo sancte crucis edito, manu indixit silentium. et dicto citius obmutuit demonium. et homo vinclis solutus, sospes cunctis admirantibus repedavit domum.

Romam ergo rediens. Omnium plebem de sua absencia mestam letificavit: ubi etiam superna gratia eius meritum mirabile omnibus publicavit. Siquidem predictus abbas hermannus cenobii sancti remigii remensis pontificatus, ei quendam ciphum preciosi marmoris ob sui memoriam obtulerat: quem sanctus vir pro caritate dantis in proprios usus sibi servari constituerat. sed quadam vice minister ei potum daturus in multas partes casu confractum repperit. Cuius particulas electus domini quotquot erant sibi deferri precepit: et nichil tale suspicantibus futurum cunctis suo loco quasi delectando reposuit: astantibus letabundus inquit. Potens est omnipotentis maiestas in pristinam integritatem has restituere fracturas. Quo dicto protinus consolidate sunt omnes partes: ita ut ad memoriam facti signum fracture ad instar subtilissimi capilli circumquaque appareret: sed quod magis mirum erat, nichil intra positi liquoris effluerat. Huius rei testis adest cognitus venerandus hugo iam dictus crisopolensis episcopus: qui cum lacrimis se presentem fuisse testatur. et divino furto se illud vas sancto viro abstulisse letatur. Semper autem memor officii sibi commissi adeo fidelis servus et prudens in tempore dispensans mensuram tritici. super sit iter peragentibus fines apulie: ut christianam repararet religionem. que videbatur ibi pene perisse: maximeque inter accolas regiones et normannos concordiam componere satagens. quos dudum adiutores contra exteras gentes principes regni susceperant. sed tunc sevissimos tyrannos ac patrie vastatores non sponte sustinebant. In hoc ergo sancto opere sollicite intentus beneventum ubi aliquamdiu commoratus cuidam clemente divina preeunte gratia vitale prebuit auxilium. Nam per annos fere quindecim diutino confecta languore de proprio grabato nisi aliorum deportata manibus nequibat exire: ita cuncta eius membra paralysis erant dissoluta egritudine. Cui per revelationem ostensum est: ut de lympha qua beatus pastor sacratas abluerat manus post missarum sollempnia adipta: deo sanctoque pontifici gratias reddita. Itaque zelo sancte religionis fervens presul venerandus. apud sipontum habito concilio duos deposuit ab officio archiepiscopos. qui cum mercede sanctum assumpserant ministerium vitio elationis. unus ambiens precellere alterum.

Hic de repetito gressu romam rediit. ubi ammonitus superna revelatione beatum Gerhardum sue sedis leuthorum videlicet olim presulem in numero sanctorum computandum statuit. eodemque anno in patriam regressus ipsius sanctos artus cum summa gloria transtulit. que omnia dilucide sunt exarata in eiusdem vita.